



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

Praefatio Primi Editoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10634**



# PRÆFATIO

## PRIMI EDITORIS.



*Vm Maximi Pontifices hac nostra etate de Gratiani emendatione tantum laborarint ut illius erratis corrigendis non quoscumque viros, sed eruditione atque auctoritate valde prestantes, proficiendos esse judicarint, selectis aliis, quorum opera adjuti, quod erat in animo perficerent, sane dubium esse nemini potest rem magni esse momenti Christianaeque reipublice uniuersae plurimum interesse. Ac quidem verò quamvis tot summorum hominum & Ecclesiae principum auctoritas, etiam sine alia causa, multum apud omnes valere debeat, tamen si res diligenter consideretur, licet eadem indigeremus, ratione item constat majus hoc quiddam esse quam vulgò homines opinantur, qui totum hoc studiorum genus pro nihilo habentes, jurisque contextum contemnentes, se totos ad in-*



## PRÆFATIO.

terpretes conferunt. Quibus ego, ut eos magni faciant, & tanquam duces ac magistros habeant, cum concessero, illud tamen constanter affirmabo, juris pontificij tantam esse dignitatem ut non solum ipsarum rerum, sed & verborum, immo & litterarum ac interpunctionum sit maxima ratio omnino habenda. Si enim homines splendidi cum aedificia exstruenda suscipiunt, non necessitatem aut utilitatem solum, sed pulchritudinem potius ante oculos sibi proponunt, neque tantum atria, porticus, & conclavia, sed etiam partes singulas, ut columnas, lapides, eorumque coagmentationem, & res alias minutas considerant, dantque operam ut singula omnia lepore quodam ita inter se consentiant ut nusquam nisi venustum & aptè connexum quidquam reperiatur, multò magis in juris pontificij contextu, quo non voluptas parva aut aliqua commoditas exigua queritur, sed ipsa respublica Christiana regitur, morèsque hominum conformantur, ac effrenata cupiditates coercentur, illud curandum est ut partes omnes apte & integre sint, nullumque verbum suspiciosum appareat. Quamobrem cum Gratiani collectio, qua magna pars juris



## PRÆFATIO.

pontificij veteris continetur, mendorum  
causa, quibus temporum illorum vitio  
abundat, multorum sibilis exploderetur,  
summa rei amplitudo jure suo postulare vi-  
debatur ut Maximi Pontifices de illius  
emendatione cogitarent & viris exquisi-  
tis ingeniis omnibusque natura & doctri-  
ne praesidiis instructis totum negotium com-  
mitterent. Cùmque extra Urbem non deef-  
sent qui hanc provinciam possent juvare,  
quòd in hoc studiorum genere satis versa-  
ti invenirentur, unus tantum, quod sciam,  
vir pro dignitate nunquam satis laudatus,  
totius Christianae reipublicae lumen claris-  
simum, deque ea optimè meritus, Anto-  
nius Augustinus Archiepiscopus Tarraco-  
nensis, qui superiori anno nobis ereptus  
fuit, hunc auctorem suscepit scriptis suis  
illustrandum. Quid effecerit, ex his duo-  
bus libris dialogorum more contextis, quos  
ante Romanam editionem conscripsit, &  
ea perlecta censuit edendos, licet judica-  
ri. Est namque Gratiani contextus ager  
quidam incultus, tot herbis asperis &  
agrestibus vestitus ut licet viri selecti  
tanquam diligentes agricola multam cul-  
turam adhibuerint, & aratro illum saepe  
perstrinxerint, aliquot tamen, si non her-



## PRÆFATIO.

be, fortasse radicum fibrae, quæ radicibus  
evelli non potuerunt, adhuc restare vi-  
deantur. Quare dabunt ipsi veniam si fru-  
ctus laborum tanti viri, cujus memoria re-  
cens in benedictione est eritque in perpe-  
tuum, communi utilitati percipiendos pro-  
ponimus; in quibus omnia ferè Gratiani  
erratorum genera notantur, multa emen-  
datione illustrantur, ac denique totus ita  
examinatur ut non solum rerum ipsarum,  
verum etiam verborum pondera expen-  
dantur.



ANTONII